124
75

cerebri, ideo cum cerebrum per se sit membrum frigidum,
facile a frigore ambientis aeris concidit et languescit et
resoluit calor animalis capitis et cerebri. Dura mater ge-
minum processum habet, unum qui distinguit partem dextram a
sinistra, nam eo processu mediante totum cerebrum in utraque
parte dividit. Alter processus est qui dividit cerebrum secundum
latitudinem, in anterius et posterius, i. cerebrum et cere-
bellum. Crassior est dura mater in posteriori parte ubi cere-
bellum tegit, adeo ut in canibus, cerebellum quasi ossea carti-
lagine tegi videatur. Interior superficies durae matris
quae piam matrem respicit est lenissima et aequalis, splendens,
et humore quodam perfusa et nullius corporis interventu piae
committitur, nisi per venas quae ab ipsa in piam matrem transeun-
tur.
Sciendum praeterea quod in dura matre in ea parte ubi dex-
tram a sinistra et cerebrum a cerebello dividit, offerun-
tur quatuor sinus, in ipso corpore durae matris. Isti sinus
sunt oblongi instar venarum sed non sunt ita rotundi, sed
exprimunt speciem trianguli. Isti sinus excipiunt sanguinem
a venis et arteriis in caput penetrantibus qui sanguis postea
ex his sinubus seu fistulis in corpore membranae durae insi-
nuatis, per certos quosdam canales ex dura matre ena-
tos emittitur in piam matrem et eo postea cerebrum nu-
triatur, et ipsum etiam per eosdem canales foras ad
nutriendos cerebri. Et mirum est quod in illos sinus sang-
uis ex venis et arteriis influit, Nota in istis cana-
libus confunditur sanguis arterialis et venalis sed aperto
cranio et istis sinibus aperte patet discerni. Ex his sinibus
duo sunt ascendentes, unus dexter alter sinister. Et
isti duo sunt in parte posteriori cerebri iuxta suturam lamb-
doidem. Tertius postea sinus longior est et capacior et ascen-
dit a cerebello per medium secundum longitudinem capitis usque
ad media supercilia. Quartus est brevissimus et valde
angustus, incipiens a termino reliquorum concursu et recta

Dura mater geminum habet processum.

Dura mater ubi crassior

Superficies durae matris interna

In dura matre 4 sinus qui sunt oblongi instar venarum

Officium istorum sinuum

+ quatuor

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_1219/0253
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG